



Per.  
Lat  
020

Latin ifjúsági folyóirat.

Lateinische Jugendzeitschrift.

Revue latine de la jeunesse.

Administrator (kiadóhivatal — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 142-215).

Moderator (szerkesztőség — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: Josephus WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268-634).

Prodit Budapestini quotannis decies. Pretium subnotationis an. 1938-39. in Hungaria 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Gyrus (vulgo: chèque) aerarii comparsorum postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde simplex pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

## Epistola de electione Pii XII-i.\*

(Lectoribus mediis.)


• Avenarius lectoribus «Iuventutis» salutem.

Si qui vestrum in commentariis<sup>1</sup> nostris «Nandum» legerunt, etiam Avenarii nomen viderunt Tirschenreuthensis. Sed ex Bavaro mense Januario factus Romanus est: Romae nunc habito. Ergo etiam tu interfuisti funebribus Pii XI et renunciationi<sup>2</sup> XII Pii? Interfui, inquam, et quod gratum esse sensi Iuventutis moderatori, de ea ipsa re paucis cogitabam referre.

Cum Pii XI exanime corpus positum esset in sacello sacramentali basilicae Petrinae, quod vivum non vidissem, saltem<sup>3</sup> mortuum spectandum ratus bis ad illam basilicam contendere et distat eunti pedibus tres<sup>4</sup> horae partes.<sup>4</sup> Primum frustra, nam cum ita per confertissimos lati essemus, ut saltem sperare liceret per portas illas nos ituros, portae illae clauduntur et nobis significatur eo die non iri apertum. Postridie mane flumine hominum prorepti magis quam procedentes venimus in basi-

Andream Avenarium presb. S. V. D. Romam vocatum esse, ut scribae munere fungeretur in quadam Congregatione S. Sedis, oravit, ut de electione novi Papae epistolam scriberet. Pro epistola hic quoque gratias agimus quam maximas.

<sup>1</sup> in «Juventute» <sup>2</sup> kihirdetés = Bekanntmachung = proclamation <sup>3</sup> legalább = wenigstens = au moins <sup>4</sup> háromnegyed = drei Viertel = trois quarts



Ecclesia S. Petri in urbe Roma.

\* Moderator certior factus socium nostrum doctissimum



licam et iacentem pontificem, non ut erat animus,<sup>5</sup> sed praetereuntes, et ut iremus moniti salutavimus. Antepaenultimo die funebrium, quod nuntiatum erat Cardinalem Monacensem<sup>6</sup> affuturum, satis mature ingressi sollemnem ingressum plus viginti Cardinalium spectavimus et exequiali<sup>7</sup> missae<sup>7</sup> interfuimus. Postea solus multum per montem Ianiculum et prope Caesaris hortos errans aegre tandem domicilii mei viam inveni, non recta respondentibus, etiam quos interrogaveram.

Illis diebus magnis passibus ab opere meo domum revertens a quodam mihi non noto in via interpellor: «Heus, inquit, quis novus papa erit?» — «Qui id scirem ego?» Sed respondi male adhuc loquens Italice: advenam esse, sed censere<sup>8</sup> vel cardinalem Pacelli vel cardinalem Florentinum. Et non semel idem praedicans aliis addebam breve futurum conclave<sup>9</sup> et nomen novi pontificis futurum vel Leonem vel Gregorium vel Pium.

Postridie igitur kalendas Martias initis<sup>10</sup> in conclavi suffragiis<sup>10</sup> multi ex nostris alumnis spectandi fumi causā, qui super Sixtinam capellam combustis votorum schedulis<sup>11</sup> ascendit ad S. Petri ecclesiam, properarunt. Horā 12.17 alba nebula ascendit, quae brevi in picuum<sup>12</sup> fumum abiit. Quod nihil effectum erat, dispergitur multitudo in pomeridianum.<sup>13</sup> Post horam 16 vi nescio qua impellor ire ad propylaea S. Petri. Cito pervenio curru electrico. Consti ad sinistram obelisci circumspectans oculis, si nostrorum aliquem conspicarer. Brevi tres vel quattuor ad me se applicant. Procedimus versus portas basilicae gratulantes nobis ipsi, quod inde ad fumarium<sup>14</sup> et ad superiorem basilicae ambitum tam commode pateret prospectus. Fabulabamur igitur, querentes etiam duritiam militum, qui obtentis telis viam faciebant metrum duodecim, cum repente (horā 17.29) fumus ascendit albus. Quidam, quod meridie decepti erant, dissuadebant praeproperam<sup>15</sup> laetitiam aucupantes<sup>16</sup> adhuc nigritudinem fumi. Quae cum nulla sequeretur, omnes: «electus est papa!» Cum tandem in aedicula basilicae, quae loggia dicitur benedictionis, lux exsplenduisset, percillere<sup>17</sup> omnium animos religiosum gaudium. Multi plaudere,<sup>17</sup> quidam circum inchoant, quod nuper Budapestini


recantatum est, et quod in obelisco sculptum est: «Christus vincit, Christus regnat», quod tota turba excipit. Non avertuntur interim oculi ab aedicula: aperitur porta, proiectantur tapetia.<sup>18</sup> En archidiaconus cardinalis prodit! Excipitur plausu multitudinis, quae interim aliquod quasi mare facta erat. Tum facto silentio ille: «Annuntio vobis gaudium magnum. Habemus papam». Hic voces et gestus laetitiae. «Eminentissimum et illustrissimum Dominum, Dominum Eugenium — novi hic plausus — Dominum Eugenium cardinalem Pacelli, qui sibi nomen imposuit Pium.» Hic vero audires eruptiones laetitiae et gratulationis. Brevi post per macrophonia<sup>19</sup> refertur eum diem ipsum diem natalem novi pontificis esse; eo die papam factum esse, quo ante annos 63 in hanc lucem esset editus.<sup>20</sup> Tum ab multitudine praeunte clero<sup>21</sup> canitur hymnus Ambrosianus et paulo post (18.22) novus papa progreditur plausu et acclamatione salutante. Clarā et firma voce primam nobis impertit benedictionem et prospectans multitudinem paulatim se recipit. Tum relaxantur hominum globi, nos ipsi automolo<sup>22</sup> curru ferimur domum testes maximae pulcherrimaeque rei.

Stabat apud nos femina, quae se, cum nomen novi pontificis editum esset, nobis professa se est eiusdem consobrinam.<sup>23</sup> Huic quod tum per communem laetitiam et per linguae impedimentum non fecimus, hoc loco ex animo gratulamur.


<sup>5</sup> szándék = Absicht = intention <sup>6</sup> urbis München (Munich) <sup>7</sup> vulgo: Requiem <sup>8</sup> putare <sup>9</sup> locus conclusus, ubi papa eligitur <sup>10</sup> a szavazás megkezdése után = nach Beginn der Abstimmung = après le commencement du scrutin <sup>11</sup> cédula = Zettel = fiche <sup>12</sup> szurokfekete = pechschwarz = noir de jais <sup>13</sup> délután = Nachmittag = après-midi <sup>14</sup> kémény = Rauchfang = cheminée <sup>15</sup> korai = voreilig = prématuré <sup>16</sup> lesni = lauern = épier <sup>17</sup> inf. hist. <sup>18</sup> szőnyeg = Teppich = tapis <sup>19</sup> megaphonia <sup>20</sup> natus <sup>21</sup> papság = Geistlichkeit = clergé <sup>22</sup> automobili <sup>23</sup> unokatestvér = Geschwisterkind = cousine

## Hymnus Pontificius.

Scriptis Card. Wiseman. Auctor melodiae: F. A. Feley.



1. U-bi ¶Petri stat e-rec-ta Sedes, princeps Urbs electa, U-na omnes an-te-cel-lis Impercussa tot proce-lis:  
2. Urbs de-co-ra, U'bs be-a-ta, Sanguineque purpu-ra-ta; Vitae nostrae sis ma-gis-tra, Verae pacis ad-ministra:  
3. Summe Pastor Christi gregis, Tu qui totum orbem regis, Alta moves, parva fo-ves: Pasce agnos, pasce oves!



1-3. Ro-ma fe-lix us-que vi-ve, Vi-vat Sum-mus Pon-ti-fex!



# LECTORIBUS MINIMIS.

## Jocosa.

Joca discipulorum gymnasii Academici Budap.

1. Cubicularia<sup>1</sup>: Duae matronae quae siverunt te, Domina, sed iussu tuo dixi eis te non esse domi. Domina: Quid responderunt? — Cubicularia: Dixerunt nonnunquam<sup>2</sup> etiam diem<sup>3</sup> Veneris<sup>3</sup> faustum esse.

2. Pater: Nebulo nequissime,<sup>4</sup> nonne tibi decem nummos promisi, si bonum testimonium<sup>5</sup> scholare<sup>5</sup> reportaveris? — Filius: Sane, mi pater, sed tibi parcere volui; scivi enim te<sup>6</sup> paucos nummos habere.<sup>6</sup>

*Ladislav Zander.*

3. A: Hic torus<sup>7</sup> temporibus Ludovici XVI factus est, quo etiam rex ipse usus est. Stilo<sup>8</sup> autem, ut mihi videtur, prior est. — B: Si rex torum iam obsoletum<sup>9</sup> emit, possibile est.

4. A: Qua de causa retardatur<sup>10</sup> tempus in America, et sol multo serius<sup>11</sup> oritur<sup>11</sup> caditque, quam in Europa?

B: Fortasse, quia America serius reperta<sup>12</sup> est<sup>12</sup>

*Antonius e marchionibus<sup>13</sup> Pallavicini.*

5. Magister interrogat quendam puerum: «Dic mihi, mi fili, quid sit pars pretiosissima corporis humani?» — Discipulus: «Pars pretiosissima corporis humani est cutis<sup>14</sup>!» — Mag.: «Cur cutis ipsa?» — Disc.: «Nam totum corpus cute continetur!»

*L. Hekli.*

6. Subrosa.<sup>15</sup> A.: Cur in terram<sup>16</sup> submittit<sup>16</sup> cervicem<sup>16</sup> equus, quem septem diebus ante emi? — B.: Hoc est propter superbiam. Sed si pretium eius solveris,<sup>17</sup> equus superbe caput erectum<sup>18</sup> tenebit.

*B. Balázs.*

7. Filius: Dic mihi, pater, quid significet<sup>19</sup> haec vox latina: vacuum?<sup>20</sup> — Pater: Nunc, repente nescio, sed in capite meo est.

*A. Bors.*

8. Antonium hamo<sup>21</sup> piscantem,<sup>21</sup> interrogat amicus: «Quid cepisti?» — «Esoces<sup>22</sup>», respondet ille. — «Et quomodo?» — «Alburnos<sup>23</sup> cibum<sup>24</sup> posui ad fraudem<sup>24</sup>». — «Et quomodo cepisti alburnos?» — «Prius muscas captavi.» — «Et muscas quomodo cepisti?» — «Oh, domi cenans exiire<sup>25</sup> cochleari.<sup>26</sup>»

*Tiburtius Fülep.*

9. Pater: Pro tam malis notis in testimonio duae alapae<sup>27</sup> tibi a me debentur<sup>28</sup>. — Filius: At testimonium magister mihi dedit, ergo si quid debes, non mihi debes.

*Emericus Rádi.*

10. Napoleon I. libenter frequentabat saltationes<sup>29</sup> personatorum,<sup>29</sup> ubi tamen nunquam gnotus manere potuit. Quamquam persona<sup>30</sup> aptissima lecta et vestis saepius mutata est, semper brevi cognoscebatur. Denique, cum se<sup>31</sup> a servo proditum<sup>31</sup> esse<sup>31</sup> putaret, legatus<sup>32</sup> eius: Domine, per breve tempus semper ignotus manes, sed simul brachia post tergum inter ipsa<sup>33</sup> impletis<sup>33</sup>, dicitur et auditur ubicumque: «Imperator (l'Empereur) adest!»

*Oscarus Stromszky.*

<sup>1</sup> szobalány = Stubenmädchen = femme de chambre  
<sup>2</sup> néha = manchmal = quelquefois <sup>3</sup> péntek = Freitag = vendredi  
<sup>4</sup> haszontalan = nichtsützig = vaurien <sup>5</sup> iskolai bizonyítvány = Schulzeugnis = bulletin (d'école) <sup>6</sup> hogy

neked... van = daß du... hast = que tu as... <sup>7</sup> kerevet = Sopha = sofa <sup>8</sup> abl. limitationis: -ra nézve = hinsichtlich = quant à <sup>9</sup> használtan = gebraucht = usagé  
<sup>10</sup> visszamarad, késik = zurückbleiben = être en retard  
<sup>11</sup> később kél = später aufgehen = se lève plus tard <sup>12</sup> fedezték fel = wurde entdeckt = fut découverte <sup>13</sup> örgróf = Markgraf = marquis <sup>14</sup> bőr = Haut = peau <sup>15</sup> burkolt célzás = durch die Blume = allusion discrète <sup>16</sup> lógatja fejét = den Kopf hängen lassen = baisse la tête <sup>17</sup> ki fogod fizetni = bezahlen wirst = tu payeras <sup>18</sup> altum <sup>19</sup> jelent = bedeuten = signifier <sup>20</sup> ür(esség) = Leere = vide <sup>21</sup> horgászni = angeln = pêcher à la ligne <sup>22</sup> csuka = Hecht = brochet <sup>23</sup> fehér keszeg = Weißfisch = poisson blanc <sup>24</sup> csalétkül = als Lockspeise = appât <sup>25</sup> leves = Suppe = potage <sup>26</sup> kanál = Löffel = cuillère <sup>27</sup> pofon = Ohrfeige = gifle <sup>28</sup> tartozom neked = bin ich dir schuldig = je te dois <sup>29</sup> álarcos bál = Maskenball = bal masqué <sup>30</sup> álarc = Maske = masque <sup>31</sup> hogy elárulta őt = daß er verraten worden sei = être trahi <sup>32</sup> hadsegéd = Adjuvant = aide de camp <sup>33</sup> keresztbe rak = kreuzen = croiser



Pittacia Vaticana, quae ab Josepho Fornari doctore, perillustri moderatore «Almae Romae» accepimus.

11. Simplicitas<sup>1</sup> puerilis. Legatus (vulgo: diplomata) quidam Britannus, qui in urbe Cairo fungebatur<sup>2</sup> munere,<sup>2</sup> in Britanniam redire paravit. Priusquam autem profectus<sup>3</sup> esset,<sup>3</sup> pridie filiulus eum rogavit<sup>4</sup>: «Pater, tecum fer me in forum Gordon, ut valedicere<sup>5</sup> possim statuae!» Quae statua ducem (vulgo: generalem) Gordon repraesentat,<sup>6</sup> famosum illum Britannum camelo<sup>7</sup> vectum.<sup>7</sup> Puerulus diu morabatur<sup>8</sup> ante statuam, valedicens et etiam de longinquo<sup>9</sup> reversus saepe repetivit: «Vale! Vale Gordon, vale!...» Pater commotus<sup>10</sup> pietate filioli erga patriam, iam mente<sup>11</sup> agitabat,<sup>11</sup> certio<sup>12</sup> faceret-ne<sup>12</sup> moderatorem ephemeridis «Times», quantā reverentiā essent pueri huius temporis erga tempora<sup>13</sup> acta,<sup>13</sup> cum repente filiulus interrogavit: «Dic pater, quis sit avus<sup>14</sup> ille, quem Gordon tergo vehit?» Camelum enim Gordon nominari putavit. *Edmundus Cseh.*

<sup>1</sup> naivság = Naivität = naiveté <sup>2</sup> működött = tätig war = était en fonction <sup>3</sup> elutazott = abreisen = partir <sup>4</sup> kér = bitten = prier <sup>5</sup> búcsút mond = sich verabschieden = prendre congé <sup>6</sup> ábrázol = darstellen = représenter <sup>7</sup> teveháton = ein Kamel reitend = monter à chameau <sup>8</sup> időzni = verweilen = séjourner <sup>9</sup> messziról = von weitem = du loin <sup>10</sup> meghatva = gerührt = ému <sup>11</sup> töpreng = erwägen = méditer <sup>12</sup> értesít = verständigen = aviser <sup>13</sup> múlt = Vergangenheit = passé <sup>14</sup> bácsi = Väterchen = tonton



## Homo viribus<sup>1</sup> ingens.<sup>1</sup>

Emericus Macskási, nobilis Transsilvanus,<sup>2</sup> qui mirabili corporis robore<sup>3</sup> clarus erat, iuvenis Vindobonae<sup>4</sup> stipendia<sup>5</sup> merebat.<sup>5</sup> Quodam die vespere, cum ante domum regiam in statione esset, iocosae rei causā<sup>6</sup> locum ad tempus<sup>7</sup> deserere constituit. Quia vero portam domūs tutam atque munitam esse volebat, molā,<sup>8</sup> quam brachiis facile sustulit<sup>9</sup>, ostium adminiculatus est.<sup>10</sup>

Aliquando tamen fabrum<sup>11</sup> ferrarium,<sup>11</sup> item Siculum,<sup>12</sup> sui<sup>13</sup> similem<sup>13</sup> invenit.<sup>13</sup> Cum enim equum ad eum adduxisset calceandi<sup>14</sup> causā,<sup>14</sup> «Cedo<sup>15</sup> — inquit — soleam<sup>16</sup> ferream.»<sup>16</sup> «Ecce soleam!» ait faber. «Quid? — inquit — haec enim vilis est», et soleam, veluti spiram<sup>17</sup> butyro<sup>17</sup> cocctam<sup>17</sup> diffregit. Alteram quoque, quam faber ei dederat, diffregit. Tertiam, quam aptam esse videbat, pedi equi suffigi<sup>18</sup> iussit.<sup>18</sup> Dein interrogat: «Quanti<sup>19</sup> haec solea constat?»<sup>19</sup> «Uno asse!» respondet faber. Miles dat ei assem, quem tamen is diffringit, dicens: «As iste vilis est!» Item<sup>20</sup> alteram diffringit. Cum tertiam accepisset «Hic iam — inquit — bonus est.» Miles obstupefactus<sup>21</sup> quartum quoque assem viro robustissimo tribuit.

Val. Fehér O. S. B. (Zalaapáti).

<sup>1</sup> óriási erejű = von Riesenstärke = de force immense  
<sup>2</sup> erdélyi = von Siebenbürgen = de Transylvanie <sup>3</sup> erő = Stärke = force <sup>4</sup> Bécs = Wien = Vienne <sup>5</sup> katonáskodik = als Soldat dienen = être soldat <sup>6</sup> végett = wegen = pour <sup>7</sup> egy időre = eine Zeit lang = pour quelque temps <sup>8</sup> malomkő = Mühlstein = meule (de moulin) <sup>9</sup> felemel = aufheben = soulever <sup>10</sup> megtámaszt = stützen = appuyer <sup>11</sup> kovács = Schmied = forgeron <sup>12</sup> székely = siebenbürgischer Ungar = Hongrois de Transylvanie <sup>13</sup> emberére akadt = fand seinen Mann = trouver à qui parler <sup>14</sup> megpatkolás végett = um es beschlagen zu lassen = pour le ferrer <sup>15</sup> lássuk csak, ide avval a = reiche mir = passe-moi <sup>16</sup> patkóvas = Hufeisen = fer à cheval <sup>17</sup> vajjas perec = Butterbretzel = bretzel au beurre <sup>18</sup> ráverette = lieb aufschlagen = faire attacher <sup>19</sup> mibe kerül? = was kostet? = combien coûte <sup>20</sup> épúgy = ebenso = de même <sup>21</sup> elálmélkodva = in Erstaunen gesetzt = ébahi

## Andreas Fáy: Fabulae.

Latine reddidit J. Tóth dr. Csurgonensis.

1. *Aries.*<sup>1</sup> Tintinnabulum<sup>2</sup> aries gestabat et honore superbus erat. Per vicum pervadens animadvertit homines, cum campana<sup>3</sup> turris sonaret, frequentes<sup>4</sup> in templum convenisse: «Consiste! — secum cogitabat — hoc miraculum etiam tu perficere potes!» Tunc ante templum constitit, summā vi quassabat<sup>5</sup> collum et tintinnabulo sonum reddebat. Nemo se movet et omnes subrident.<sup>6</sup> «Quomodo fit hoc?» — interrogat mirans stupidus.<sup>7</sup> — «Propterea, amice — respondit pastor fustem<sup>8</sup> tollens, — quod tintinnabulum non par est campanae, neque aries aedituo!»<sup>9</sup>

2. *Plaustrum*<sup>10</sup> solis. Cum Phaëthon<sup>11</sup> ab equis solis raptus et plaustrum fractum est, Iuppiter in concilio caelicolarum<sup>12</sup> suadebat, ut postea asini placidi solem portarent. — «Quid<sup>13</sup> tibi<sup>13</sup> vis,<sup>13</sup> Pater benigne! — dicit sapiens Minerva — non satis est asinos<sup>14</sup> in terra locis in optimis splendere,<sup>14</sup> etiam in caelo ii luceant?»

<sup>1</sup> kos = Widder = bélier <sup>2</sup> csengő = Glöckchen = clochette <sup>3</sup> harang = Glocke = cloche <sup>4</sup> nagy számban = zahlreich = nombreux <sup>5</sup> rázogot = heftig schütteln = secouer, agiter <sup>6</sup> mosolyog = schmunzeln = sourire <sup>7</sup> bamba = dämisch = balourd <sup>8</sup> fűtykös = Knittel = gourdin <sup>9</sup> harangozó = Glöckner = sonneur de cloches <sup>10</sup> szekér = Wagen = chariot <sup>11</sup> filius Solis (Napisten = Sonne = Soleil), solus equos agens <sup>12</sup> deorum <sup>13</sup> mi jut eszedbe? = was fällt dir ein? = qu'est-ce qui te vient à l'esprit <sup>14</sup> hogy a szamarak tündökölnék = daß die Esel protzen = que les ânes brillent

## Rex incognitus.

Eduardus VII rex Britanniae aliquando Parisiis hospes<sup>1</sup> Galliae erat. Vespere quodam rex cum comite suo, primo ministrorum Britanniae in urbe ambulabat incognitus. Interim ambulantes homo interrogavit: «Ego peregrinus<sup>2</sup> sum et non invenio viam Scholarum (rue des Ecoles), ubi habito. Rogo humillime, monstretis mihi, qua mihi eundum<sup>3</sup> sit,<sup>3</sup> ut in deversorium<sup>4</sup> perveniam!» Rex noverat<sup>5</sup> urbem Parisios, itaque non solum monstravit regionem,<sup>6</sup> sed etiam comitatus<sup>7</sup> est<sup>7</sup> eum, dum advenerunt in viam quaesitam. Tum peregrinus gratias<sup>8</sup> egit<sup>8</sup> pro humano officio<sup>9</sup> et scire voluit, qui comites essent et ubi habitarent. Eduardus primum tacuit, deinde tamen respondit: «Ego rex Britanniae sum, comes meus primus ministrorum Britanniae». Peregrinus paulisper obstupefactus<sup>10</sup> stetit, deinde ridens voce iocosā dixit: «Contenti esse potestis, nam neque ego homo simplex sum. Domi enim me cives imperatorem Japoniae appellat!»  
<sup>1</sup> Stephanus Bihari disc. Stephanei Bp.

<sup>1</sup> vendég = Gast = hôte <sup>2</sup> idegen = fremd = étranger <sup>3</sup> kell mennem = soll ich gehen = dois-je aller <sup>4</sup> szálloda = Gasthof = hôtel <sup>5</sup> ismerni = kennen = connaître <sup>6</sup> irány = Richtung = direction <sup>7</sup> elkísérni = begleiten = accompagner <sup>8</sup> megköszön = sich bedanken = remercier <sup>9</sup> szívesség = Höflichkeit = politesse <sup>10</sup> elálmélkodva = verblüfft = ahuri



## LECTORIBUS MEDIIS

### Virtus.

Vixerat initio huius saeculi iudex<sup>1</sup> nobilium<sup>1</sup> superior<sup>1</sup> loco nobili vetere natus. Clarissimus erat ille de magna voracitate.<sup>2</sup> Quadam nocte laetā in circulo<sup>3</sup> unum ex amicis sponsione<sup>4</sup> mille coronarum

<sup>1</sup> főszolgabíró = Oberstuhlrichter = sous-préfet de district <sup>2</sup> falánkság = Gefrässigkeit = voracité <sup>3</sup> vulgo : Casino



provocavit<sup>4</sup> se eodem suo loco sedentem comesurum esse 80 ova<sup>5</sup> adipe<sup>5</sup> fricta.<sup>5</sup> Amicus eius ipse custodivit in culina, ne error incideret: cuncta ova 80 praepararentur. Iudex nobilium superior appetitu evidenti edebat cibum flavum<sup>6</sup> et capsico<sup>7</sup> bene conditum, qui iam-iam consumptus est, solum dimidium fere ovi remansit in catino,<sup>8</sup> cum iudex contentus deposuit furcillam<sup>9</sup> et dixit: Ne,<sup>10</sup> hoc sapore<sup>11</sup> gratum<sup>11</sup> fuit<sup>11</sup>

— Gratulamur! — sonabat chorus adstantium. — Iure tuae sunt mille coronae, devorā celeriter adhuc hoc parvulum!

— Non devorabo — respondit quietissime ille. — Captusne<sup>12</sup> es mente<sup>12</sup>? — increpuit eum vehementer chorus. — 79 ova et dimidium comedi et propter dimidium amittere vis sponzionem?

— Dominus nobilis solum tamdiu edit, donec esurit — explicabat obiective iudex. — Ego autem, Deo gratias, iam satiatum sum.<sup>13</sup>

Et palpebris<sup>14</sup> immotis<sup>14</sup> persolvit adversario suo mille coronas.

*Elisabetha Fábíán*  
abituriens gymn. Kaposváriensis puellaris.

<sup>4</sup> fogad vkivel vmibe = wetten = parier <sup>5</sup> rántotta = Rühreier = œufs brouillés <sup>6</sup> sárga = gelb = jaune <sup>7</sup> paprika = Paprika = piment <sup>8</sup> tál = Schüssel = plat <sup>9</sup> villa = Gabel = fourchette <sup>10</sup> na bizony = für wahr vraiment <sup>11</sup> jól esett = schmeckte gut = être de bon goût <sup>12</sup> megbolondultál = verrückt = fou <sup>13</sup> jóllaktam = bin satt = se rassasier <sup>14</sup> szemrebbenés nélkül = ohne eine Miene zu verziehen = sans sourciller

## De Saturno.

Saturnus Urano (Coelo) et Gaiā (Tellure) natus est. Fuit unus e Titanibus et quidem minimus natu. Alii quinque Titanes notissimi sunt: Hyperion, Oceanus, Iapetus, Cottus, Briareus. Uranus Cyclopes, filios suos, in Tartarum<sup>1</sup> proiecerat. Gaia, quam<sup>2</sup> liberorum miserabat,<sup>2</sup> Titanes, ut patri atroci obsisterent, concitavit. Saturnus matre adiutrice patrem suum dormientem falce<sup>3</sup> tam graviter vulneravit, ut vulneribus succumberet.<sup>4</sup>

Urano summoto, Saturnus locum patris sibi sumpsit et dominus mundi exstitit et Rheam uxorem duxit. Gaia praedixit: «Saturnus regno fraudabitur<sup>5</sup> ab uno e filiis.» Timore perterritus omnes liberos suos, ubi primum nati erant, devorabat. Quae horrenda sors jam quinque filiis contigerat, cum sextus, nomine Iuppiter, voracitatem<sup>6</sup> patris effugit hoc modo: Rhea, a crudelitate mariti abhorrens, Saturno lapidem pro infante tradidit devorandum, quem is evomuit<sup>7</sup> et quinque filios adhuc vivos. Rhea Iovem dedit Themidi sorori suae, quae eum in speluncam abdidit, ubi ab Amalthea capra educaretur. Iam post annum Iuppiter fortis deus erat, qui patrem crudelissimum regno pellere statuit. Fecit. Iuppiter deus optimus maximus factus est.

Saturnus regno pulsus in Italiam profugit latuit-que in ea parte, quae inde Latium dicta putatur. Benique exceptus a Iano, qui tum ibi regnabat, et in regni<sup>8</sup> consortium<sup>8</sup> adscitus<sup>8</sup> rudes populos ad humaniorem cultum perduxit agros-

que colendi rationem<sup>9</sup> docuit. Saturni regnum a poetis aurea aetas appellari solet.

Saturnus fingitur<sup>10</sup> et pingitur senex. Dextrā manu falcem tenet, sinistrā anguem, caudam in ricto<sup>11</sup> habentem, quo aeternitas significatur.

*Petrus Nette*, disc. Kaatsheuvelensis (Batavia).



Saturnus lapidem dat Saturno edendum (Roma).

<sup>1</sup> pokol = Hölle = enfer <sup>2</sup> aki sajnálta = die bedauerte = qui regretta <sup>3</sup> sarló = Sichel = faucille <sup>4</sup> belehalt = erliegen = succomber <sup>5</sup> megfoszt = um etw. bringen = dépouiller <sup>6</sup> falánkság = Gefräßigkeit = voracité <sup>7</sup> kiokád = ausspeien = vomir <sup>8</sup> megosztotta vele az uralmat = teilte mit ihm die Obergewalt = partager l'empire <sup>9</sup> módszer = Methode = méthode <sup>10</sup> elképzelt = vorstellen = imaginer <sup>11</sup> tátott száj = der geöffnete Mund = bouche bé



## De ludo<sup>1</sup> discorum<sup>1</sup> glaciali.<sup>1</sup>

Ludus est similis ludo conorum,<sup>2</sup> sed non par. Pro globo<sup>3</sup> adhibetur discus manubrio instructus et pro omnibus conis adest cubus ligneus (vulgo «Taube»).

Viri in duas catervas sunt divisi, qui inter se certant. Alternis<sup>4</sup> vicibus<sup>4</sup> viri utriusque catervae discum ad cubum pellunt. Sed discum, cum stat, nusquam funditori<sup>5</sup> movere licet. Aliis autem licet discum movere suis discis depellentes. Sed etiam cubus est mobilis et pulsu discorum moveri potest. Itaque ludus ille viros ita allicit, quos (= ut eos) semper ludentes videamus. Nemo potest ante finem dicere, quae catervarum victrix egrediatur. Optime autem ludum monstrabit narratio de viris ludentibus.‡


<sup>1</sup> jégtekejáték = Eisschießen = jeu de quilles sur glace (vide pag. 76 mensis Ian.) <sup>2</sup> báb = Kegel = quille <sup>3</sup> teke = Kugel = boule <sup>4</sup> váltakozva = abwechselnd = alternati-  
vement <sup>5</sup> ei, qui discum depulit



Quinque viri ad sinistram, quinque ad dexteram stant. Primus tendit discum. Vir stat ad dexteram. Discus properat per glaciem et in altero fine stat prope cubum. Vir currit ad cubum. Secundus tendit. Discus properat maxima vi et tendit cubum duos passus ad dexteram, ipse autem prope stat ad sinistram. Secundus vir ad sinistram steterat. Nunc vocat primus: «Rectā viā ad cubum!» Tendit tertius, qui ad dexteram stat, discum recta via ad cubum. Nunc secundus vocat: «Ad discum Iosephi!» Iosephus erat tertius vir. Quartus vir tendit discum et discus Iosephi ad sinistram pellitur. Discus quarti autem iuxta cubum stat. Hoc modo ludunt diu. Qui tetendit, currit ad cubum et indicat posteriori suae catervae, quo tendat. Tandem omnes fere stant ad cubum in altero fine glaciei partim ad dexteram, partim ad sinistram. Qui ad dexteram stat, audit: «Tende ad discum Pauli, quia is victor fit, nisi tenditur a te ad dexteram!» Tendit ille. Circa cubum stant disci et nunc a disco illius tenduntur omnes currentes ad omnes regiones. Discus illius autem prope cubum stat: Nunc dicunt ceteri ultimo viro: «Tende cubum ad discum Francisci!» Tendit, cubus pellitur, at non ad discum Francisci, sed ad discum Iosephi. Victrix est caterva Iosephi. Accipit cerevisiam<sup>6</sup>, quia constitutum erat, ut vixtrix caterva cerevisiam ab altera acciperet.

*Ricardus Schaeffler* disc. Ettaliensis (Bavaria).

<sup>6</sup> sör = Bier = bière



## RES FEMINEAE.

Particeps quaedam congressūs feminarum internationalis Cantabrigiae (= Cambridge), *Elisabeth Abbot* in cauponis,<sup>1</sup> thermopoliisque<sup>2</sup> Britanniae feminas peius quam viros tractari constituit.

«Pro eodem pretio, — dixit — feminae multis locis portiones minores accipiunt, quam viri. Hoc modo plerumque feminae minus opulentae<sup>3</sup> et laborantes maiores portiones virorum exsolvunt, aut caupones pecuniam extra<sup>4</sup> lucrantur.»<sup>4</sup> Exemplum quoque a se ipsa expertum exposuit. In coenatione<sup>5</sup> cuiusdam stationis<sup>5</sup> pro pretio in indice<sup>6</sup> ciborum<sup>6</sup> indicato costae<sup>7</sup> vitulinae<sup>7</sup> unam, vir adsidens duas accepit. Procurator, cui rem querebatur, hoc errore factum esse dixit, sed error constanter fieri videtur. «Viri — exclamavit domina *Abbot* — pecuniam ad cerevisiam<sup>8</sup>, tabacum et certandum<sup>9</sup> pignore<sup>9</sup> cum aliis habent. Nos, feminae laboramus, ut vestimenta maxime necessaria et volvellas<sup>10</sup> emere possimus.»

Oratrix secunda, *Winnifred Suer*, puellas propter educationem malam iniuste tractari constituit.

Exempli causā in schola quadam, ubi iuventus generis utriusque docetur, pueri mali ita puniti sunt, ut in subsellio<sup>11</sup> puellarum sedere iuberentur. Hoc a pueris pudor<sup>12</sup> maximus esse putatur. Participes congressūs ad postremum feminas hoc iniquo modo tractatum iri, donec animus virorum non mutaretur, opinabantur. *Magdalena Jóbóri* Bp.

<sup>1</sup> vendéglő = Gasthaus = restaurant    <sup>2</sup> kávéház = Kaffeehaus = café    <sup>3</sup> jó módú = wohlhabend = fortuné  
<sup>4</sup> különhaszonként zsebre vágja = als Extragewinn einstecken = empocher comme bénéfice extraordinaire    <sup>5</sup> vasúti vendéglő = Bahnhofrestaurant = buffet de la gare  
<sup>6</sup> étlap = Speisezettel = carte    <sup>7</sup> borjúszelet = Kalbschnitzel = escalope de veau    <sup>8</sup> sör = Bier = bière    <sup>9</sup> fogadást köt = eine Wette eingehen = parier    <sup>10</sup> cigaretta = Zigarette = cigarette    <sup>11</sup> pad = Bank = banc    <sup>12</sup> megszégyentés = Beschämung = humiliation

## Quibus vinculis historiae humanitatisque ac litterarum Anglia et Hungaria coniungantur? (2)

Latini reddidit *Aem. Láng* Keszthelyensis.

In bello pro reformatione tuendā exorto atque in altera parte saeculi XVII protestantismus in Transsilvania percreebruit,<sup>49</sup> quod multas quasi ansas<sup>50</sup> coniunctionum cum reformata Anglia



Carolus I. rex Angliae.

<sup>49</sup> elterjed = sich verbreiten = se répandre    <sup>50</sup> támaszpont = Anhaltspunkt = point d'appui





dabat. Magni momenti est epistula principis **Georgii Rákóczi II.** ad **Oliverum Cromwell**, qua cum **Carolum I.** securi percussum misericordiā<sup>51</sup> prosequitur, tum gaudium indicat, quod tantus vir factus est **Lord**<sup>52</sup> **Protector**<sup>52</sup> Angliae, qui scite prudenterque rem publicam regat. Dum bellum pro libertate ab **Francisco Rákóczi II.** susceptum geritur, princeps commercium<sup>53</sup> epistularum<sup>53</sup> cum **Anna**, regina Angliae et principe **Marlborough** frequentabat. Regina saepius inter principem et domum Habsburgicam se in pacificationem interposuit, sed frustra. Ex qua re sequitur Angliam iam ineunte saeculo XVII in valle Danubii ad controversias<sup>54</sup> componendas<sup>54</sup> personam<sup>55</sup> mediatrix<sup>55</sup> gessisse.<sup>55</sup>

Saeculo XIX **Stephanum** e comitibus **Széchenyi**, virum<sup>57</sup> civilibus<sup>57</sup> artibus<sup>57</sup> praestantem<sup>57</sup> visā in Anglia expertaque in sua patria ad res sociales<sup>58</sup> ac oeconomicas<sup>58</sup> ad exemplum Anglicum reformandas inspiraverunt.

Motibus<sup>59</sup> libertatis<sup>59</sup> compressis **Ludovicum Kossuth** Angli hospitaliter exceperunt, qui orationibus in Anglia et America habitis animos ubique vehementer movit. Quam ob rem coniunctionem inter duas nationes revirescebant.<sup>60</sup> Sympathiam<sup>61</sup> augebat, quod in bello<sup>62</sup> gentium<sup>62</sup> Angli in Hungaria morantes non erant in castris captivorum custoditi, sed quisque suo munere libere functus est. Hungari autem gratiam habent Anglis, qui primi pacem imperatam Trianonicam aggressi sunt. Viscount **Rothemere** in suis commentariis<sup>63</sup> diurnis<sup>63</sup> primus postulabat iustitiam Hungaris. Idem nuperrime spectator interfuit Cassoviae<sup>64</sup> in urbe liberata sollemnitati magnae Hungarorum.

Numerus eorum, qui patriam nostram visendi causa peragant, tantummodo nunc temporis increscit, quamquam fuerunt iam praeteritis saeculis rari, quos Hungaria visenda allexit, ut **Lady Mary Montague**, quae saeculo XVIII plures transdanubianas<sup>65</sup> urbes visitavit, dein ineunte saeculo XIX **Richardus Bright**, qui etiam itinerarium<sup>66</sup> de Hungaria conscripsit intitulatum :<sup>67</sup> *Travels from Vienna through Lower Hungary*, quod **dr. Emericus Szerecz** rector gymnasii Patrum Praemonstratensium Keszthelyensis prooemio adnotationibus instruxit atque in sermonem Hungaricum ad usum lectorum eruditorum convertit aptissime. Memorandus est in primis **Edmundus Spencer**, vir incorruptus, qui rationem<sup>68</sup> regiminis<sup>68</sup> ab ministro Austriaco **Alexandro Bach** inaugurati vehementer reprehendit.

Habemus viros doctissimos, qui cum Anglis vinculo scientiae coniuncti sunt. **Alexander Csoma de Kőrös** totam vitam in sede antiqua Hungarorum inveniendam consumpsit. Auctore clarissimum Anglorum inventore,<sup>69</sup> **Moorcroft**, quem in itinere in finibus Caspiti<sup>70</sup> convenit, ad studium linguae Tibetensium se contulit. 40.000 verbis collectis et libris permultis huc<sup>71</sup> spectantibus<sup>71</sup> perfectis vocabularium<sup>72</sup> primum Tibetense et grammatica anno MDCCCXXXIV in urbe Calcutta prodiit. Quo opere auctor clarum nomen et magnam laudem sibi comparavit. Anno MDCCCXLII defuncto

**Societas Asiatica** monumentum sepulchri extruxit.

**Arminius Vámbéry**, inclytus orientalista, philanglus,<sup>73</sup> auxilio Anglico adiutus Asiam mediam



Lud. Kossuth in Britanniam advenit.

perlustrabat, ut originem Hungarorum perscrutaretur.<sup>74</sup> Cui magnus usus erat cum viris clarissimis **Palmerston**, **Livingstone**, **Burton**, **Speke**, **Grant**, **Kirket** cumque aliis.

**Aemilius Torday** non tam terras adhuc ignotas quaerere, quam suis perscrutationibus ethnographicis,<sup>75</sup> anthropologicis<sup>76</sup> et grammaticis<sup>77</sup> mentem Afrorum<sup>78</sup> aperire voluit. Scriptis suis doctos viros, in primis Anglos in se convertit. Itaque Institutum Anthropologicum Regium, mox **British Museum** ei mandavit, ut regiones Congi<sup>79</sup>

<sup>51</sup> részvét = Mitleid = compassion <sup>52</sup> országhorományzó = Reichsverweser = régent <sup>53</sup> levélváltás = Briefwechsel = correspondance <sup>54</sup> viszálýokat kiegyenlíteni = Streitigkeiten ausgleichen = apaiser les dissensions <sup>55</sup> szerepet betölt = Rolle spielen = jouer un rôle <sup>56</sup> közbenjáró = Vermittlerin = médiatrice <sup>57</sup> kiváló államférfiú = ein grosser Staatsmann = homme d'Etat éminent <sup>58</sup> társadalmi és gazdasági = sozial- und landwirtschaftlich = social et économique <sup>59</sup> szabadságharc = Freiheitskampf = guerre de liberté <sup>60</sup> újra megerősödni = wieder erstarren = se resserrer <sup>61</sup> rokonszenv = Sympathie = sympathie <sup>62</sup> világháború = Weltkrieg = guerre mondiale <sup>63</sup> napilap = Tageblatt = quotidien <sup>64</sup> Kassa <sup>65</sup> dunántúli = von jenseits d. Donau = transdanubien <sup>66</sup> útleírás = Wegbeschreibung = relation de voyage <sup>67</sup> melynek címe = betitelt = intitulé <sup>68</sup> kormányrendszer = System d. Regierung = système de gouvernement <sup>69</sup> felfedező = Entdecker = explorateur <sup>70</sup> Kaszmir (Előindia-ban) = Kaschmir (Westindien) = Cachemire (Indes Occidentales) <sup>71</sup> idevonatkozó = hierauf bezügliche = y relatif <sup>72</sup> szótár = Wörterbuch = dictionnaire <sup>73</sup> angolbarát = Britenfreund = anglophile <sup>74</sup> felkutat = erforschen = rechercher <sup>75</sup> néprajzi = volkskundlich = ethnographique <sup>76</sup> embertani = anthropologisch = anthropologique <sup>77</sup> nyelvelvi = sprachlich = linguistique <sup>78</sup> afrikai = Afrikaner = Africain <sup>79</sup> Kongó



perscrutaretur. Torday res pretiosissimas Museo conquisivit.

**Aurelius Stein** tres expeditiones per Asiam suscepit, unde 284 cistas<sup>80</sup> monumentis antiquitatis refertas British Museo secum tulit. Vir doctus Academiae Scientiarum Budapestinensi ac Londinensi socius ascriptus atque doctor<sup>83</sup> Universitatis Cantabrigensis<sup>81</sup> et Oxoniensis<sup>82</sup> in<sup>83</sup> honorem<sup>83</sup> electus<sup>83</sup> tribus annis ante Persiam, Mesopotamiam vallemque Indi explorabat.

Philologia Anglica iam quinquaginta annis ante in Universitate Budapestinensi cathedram habuit. Primus professor extraordinarius A. Patterson factus est, qui prius in Universitate Cantabrigensi, «Magister Artium» fuit. Post apud nos socius Academiae Scientiarum Hungariae et Societatis



Discipuli scholae oeconomicae comitis Lad. Festetich Ricardum Bright saltatione hungarica delectant.

Kisfaludiana ascriptus est. Cui successit **A. B. Yolland**, qui anno MCMXIV professor ordinarius factus est. Ex quo Cuno e comitibus Klebelsberg in scholis<sup>84</sup> mediis<sup>84</sup> quoque linguam Anglicam docendam curavit, numerus auditorum in Universitate nimis increvit. Nunc temporis celeritate commeatus<sup>85</sup> inter duas nationes usus<sup>86</sup> mutuus<sup>86</sup> crebrior ac facilius factus est. (Finis.)

<sup>80</sup> láda = Kiste = caisse <sup>81</sup> Cambridge <sup>82</sup> Oxford  
<sup>83</sup> diszdoktor = Ehrendoktor = docteur honoris causa  
<sup>84</sup> középiskola = Mittelschule = école secondaire <sup>85</sup> közlekedés = Verkehr = communication <sup>86</sup> kölcsönös érintkezés = gegenseitige Berührung = rapports mutuels

## Doodwater otium sibi exoptat.

Latine reddidit: *Vincentius Gombár* Novopostinensis.

Simulac dominus Doodwater in illas balneas parvas quidem, sed frequentes advenit, Britannicas, omnibus fere conspicuus est factus. Vestimentum<sup>1</sup> eius itinerarium<sup>1</sup> idque scutulatum,<sup>2</sup> genae pingues, sed subpallidae, ventriculus teres

ac rotundus, nasus magnus et verrucosus<sup>3</sup> cucumerique<sup>4</sup> simillimus risum movebant balnearum hospitibus ita, ut hac aestate dominum Doodwater habitum iri ab omnibus ludibrio existimarent. Cum Doodwater nomen suum in hospitem indice esset inscripturus, aliquamdiu, quid faceret, haesitabat. At paulo post «Thoma Doodwater, Londinium» inscripsit et cum otium valde exoptaret, «privatus» adscripsit.

Sed ipsum verbum «privatus» pecuniam, ut dicitur, semper olet, quod miserimus ille Doodwater brevi intellexit. Doodwater enim ubicunque magnā iam hominum multitudine erat stipatus et circumfusis. Paucis post diebus vidua<sup>5</sup> quaedam sub nomine Evelynae Mac Morris ut magnarum heres fortunarum domino Doodwater se adiunxit.

Aliquando Evelynae dulce ridens domino Doodwater, ut unā sese luce<sup>6</sup> pingendos<sup>6</sup> curarent,<sup>6</sup> persuadere voluit. Dominus Doodwater oculis in eam coniectis: «Emilia — inquit — hoc tibi facere non licet. Ceterum quoties fuisti iam violentae<sup>7</sup> exactionis<sup>7</sup> condemnata?» Quibus verbis vidua, heres magnarum fortunarum, expalluit, postero autem die perfecta est.

Doodwater valde gavisus est sperans fore, ut tandem otio frui possit. At postero die domino Doodwater, qui ipso habitu risum movebat hominibus, duo «viri perillustres», quorum alter sub nomine Tonnbridge, alter sub nomine Earl of Edam in balneis commorabatur, se adiunxerunt eumque brevi, ut lusum<sup>8</sup> paginarum,<sup>8</sup> qui vulgo «Poker» nominari solet, secum luderet, invitarunt. Duas iam horas lusum est dominusque Doodwater omnia, quae illi haberent, sustulit.<sup>9</sup> Illi oribus pallidis sedebant secumque murmurando impias voces emittebant. Doodwater omnia, quae lusu sustulisset, eis reddidit et: «Ita — inquit — callide ac fraudulente paginis ludere, ut vos, Domini, ego iam pridem didici. Cavete, iterum faciatis! Si autem viri nobiles videri velitis, eiusmodi verbis, quibus nautae<sup>10</sup> inter se confabulari<sup>11</sup> solent, uti nolite!» Quo facto «viri perillustres» nullā morā interpositā profecti sunt.


Postero die Doodwater mane in harena recumbens: «Tandem — inquit — otio frui possum!» Placido somno ibi dormitabat, cum vir quidam, cui nomen Smith erat, advenit horologiumque<sup>12</sup> domini Doodwater ex cingulo<sup>13</sup> eius subducere est conatus. At eodem fere temporis puncto dominus Smith ictu<sup>14</sup> pugni<sup>14</sup> aliquot metra longe a domino Doodwater in harena prostratus iacebat. Doodwater clementer ridens venit ad dominum Smith et: «Cave, hoc iterum facias — admonuit eum — etiam peius hoc tibi evenire potuit! Ceterum tibi parcere volui. Nisi enim

<sup>1</sup> utazóruha = Reiseanzug = costume de voyage  
<sup>2</sup> kockás = kariert = à carreaux <sup>3</sup> bibircsókos = warzig = qui bourgeoise <sup>4</sup> uborka = Gurke = combre <sup>5</sup> özvegy = Witwe = veuve <sup>6</sup> lefényképeztet = photographieren = faire photographier <sup>7</sup> zsarolás = Erpressung = chantage <sup>8</sup> kártyajáték = Kartenspiel = jeu de cartes <sup>9</sup> elnyer = gewinnen = gagner <sup>10</sup> matróz = Matrose = matelot <sup>11</sup> fecseg = schwatzen = bavarder <sup>12</sup> (zseb)óra = Uhr = montre <sup>13</sup> öv = Gürtel = ceinture <sup>14</sup> ökölcsapás = Faustschlag = coup de poing



e somno me excitasses, apricari<sup>15</sup> non potuissem». Dominus Smith nunquam postea in balneis visus est.

Dominus Doodwater, ut otio paulo ante nacto ūti posset, ad lunam ambulare in animo habebat. Nocte quadam, cum forte in litore remoto ambularet, vegetis<sup>16</sup> oculis in sidera coniectis poëma



quoddam, quod in schola unquam didicerat, murmurabat, suavissimum. «Oh quam iucunda est — inquit — parva haec officii intermissio!» Vixdum hoc pronuntiavit, cum repente a saxo latro ad dominum Doodwater assiluit eique sclopetulum<sup>17</sup> automatatum<sup>17</sup> minitans increpuit: «Tolle manus!»

At Doodwater continuo latroni sclopetulum automatatum de manibus extorsit validissimisque palmis<sup>18</sup> brachia eius complexus virum nequissimum e tenebris extraxit. «Ut dii vos perdant, — inquit Doodwater — otium meum non desinitis perturbare. At huius culpae poenam effugere non poteris! Procede in magistratum<sup>19</sup> securitatis<sup>19</sup> publicae!»


Illo die Doodwater ore<sup>20</sup> renidenti<sup>20</sup> domum redit. Sperat enim, si hoc percubuerit, neminem in balneis, qui otium suum perturbare audeat, esse futurum. Sed contrā, quam speraverat, accidit. Postquam enim fama percubuerat dominum Doodwater praefectum<sup>21</sup> esse illum praeclarissimum indagatorum<sup>21</sup> Londinensium,<sup>22</sup> complures ad eum venerunt legationes, quae, quod latronem cepisset, gratias ei agerent. Postremo ipse balnearum rector venit ad dominum Doodwater, ut gratias ageret. «Si quid — inquit ille — optaveris, nos, quantum in nobis sit, voluntati tuae satisfacturos esse promittimus.»

Doodwater tristius, quam hilarius ridens: «Timeo — inquit — ne promissum praestare non possitis. Primum enim omnes, qui his in balneis inveniri possint, fures ac circumscriptores<sup>23</sup> se mihi adiungunt, tum vos gratias agendo me cruciatis notumque facitis omnibus, qui hoc loco sint, hominibus. Timeo, ne mihi in illum unicum solumque locum sit proficiscendum, ubi non solum fures ac circumscriptores non audeant, sed ne vos quidem possitis otium laudationibus perturbare meum».

— Ubi est ille locus? — interrogavit rector balnearum.


«Londinii — inquit Doodwater — in magistratu securitatis publicae.» Eodem ipso die Doodwater Londinium est profectus.

<sup>15</sup> napozik = sich sonnen = prendre un bain de soleil  
<sup>16</sup> vidám = munter = joyeux <sup>17</sup> pisztoly = Schiesseisen = pistolet automatique <sup>18</sup> tenyér = Handfläche = paume de la main <sup>19</sup> rendőrség = Polizei = police <sup>20</sup> örömtől sugárzó arccal = mit freudestrahlendem Gesicht = le visage rayonnant de joie <sup>21</sup> detektívfelügyelő = Detektivinspektor = inspecteur de police <sup>22</sup> londoni = londoner = de Londres <sup>23</sup> szélhámós = Gauner = escroc.



### Quo modo possimus undas electricas in vocem transformare?

Undas electricas filo metallico 30 metra longo excipimus. Naturam electricam per helicem in terram ducimus. Illa helix paratur ex filo metallico tecto (vulgo: isolato)  $\frac{1}{2}$  mm lato. Helix illo filo metallico septuagies circumversanda 5 cm lata sit. Ad fines duos helicis condensatorem versatilem<sup>1</sup> conferrimus, quorum capacitas est 500 cm. Filorum metallicorum primum ex concha<sup>3</sup> auditoria<sup>3</sup> electrica eductum et terram colligamus,



altero concha auditoria et crystallus sunt similiter colligandi. Crystallus autem filo metallico undas electricas excipiente (vulgo: antennā) est colligandus. Si hos omnes paramus, machina ad undas electricas excipiendas parata est.

Ladislav Javorik disc. Tatanus.

<sup>1</sup> forgatható = drehbar = rotatif <sup>2</sup> összeforrasztani = zusammenlöten = souder <sup>3</sup> fejhallgató = Kopfhörer = casque d'écoute



## Ad Mariam Andócsianam.<sup>1</sup>

Carmen lugubre *Alexandri Sik*,<sup>2</sup> Interpres Latinus:  
Ios. Guelmino Bp.

*Mendicorum<sup>3</sup> baculis en titubamus<sup>4</sup> fracti  
Sic peregrinamur<sup>5</sup> ad Te, o Patrona Hungarorum  
In corpore laniati<sup>6</sup> in animo conculcati<sup>7</sup>  
Nepotes contriti.<sup>8</sup>  
Media nox est ubique, qua Tibiscus<sup>9</sup> errat  
Et hac nocte Hungarorum nemo iam vigilat.  
Non habemus nos amicos, non habemus fratres,  
Ad Te pellunt pericula, ad Te verberat res summa,<sup>10</sup>  
Domina Beata!*

*Ludibrio<sup>11</sup> habuerunt,<sup>11</sup> sputoque<sup>12</sup> contaminarunt<sup>13</sup>  
Quidquid nobis pulchrum,  
Scissuque<sup>14</sup> in quattuor partes scelerati disciderunt<sup>15</sup>  
Quod erat integrum.  
Direptores<sup>16</sup> diripiunt, quod remansit dulce  
Sepulchrumque<sup>17</sup> fabricantur<sup>18</sup> illi usque<sup>19</sup> et  
usque.<sup>19</sup>  
Hanc querelam<sup>20</sup> Tibi flemus, hanc amaram<sup>21</sup>  
effundimus  
Orbi<sup>22</sup> Hungri<sup>23</sup> rursum.*

*Exteri hic dominantur<sup>24</sup> et cachinnis<sup>25</sup> imitantur  
Idioma<sup>26</sup> carum,  
Hos exteros<sup>27</sup> rogitamus, redonare non dignantur  
Panem, salem nostrum.  
Hungarorum manūs arant, Hungarorum manūs  
occant<sup>28</sup>  
In glebis<sup>29</sup> avertis,  
Montes, valles nobis<sup>30</sup> culti,<sup>30</sup> dominisque fructiferi  
In messi novellis.<sup>31</sup>  
Non<sup>32</sup> seminans<sup>32</sup> sic fit messor et herus<sup>33</sup> sic fit  
servitor  
In terris paternis.*

*O Domina dulcissima! Mater mille annos!  
Proavi<sup>34</sup> si Te rogabant et genibus exorabant,  
Erexi<sup>35</sup> illos.  
Centum flagellis,<sup>36</sup> meremur,<sup>37</sup> flagellemur<sup>38</sup> sontes<sup>39</sup>  
Sed id unum roga tantum et obsecra<sup>40</sup> Christum bonum  
O Regina quattuor fontum,<sup>41</sup>  
O Regina trium montum,<sup>41</sup>  
Sit Hungarum in aeternum, personetque tuum  
regnum,  
Carmen Marianum!*

<sup>1</sup> búcsújáró hely = Wallfahrtsort = lieu de pèlerinage  
<sup>2</sup> A. Sik. e Scholis Piis, poëta clarissimus, et professor universitatis Szegedinensis. Fortasse nemo huius temporis poëtarum effundit plus lacrimarum de sorte gentis suae, quam ille et nemo plus spei. Semper purus, semper nobilis, semper verus. Et quia semper ex fontibus aeternitatis haurit, semper luce et colore abundat sensus. Poëta nobilis nunc quinquaagenarius est. Ad multos annos!  
<sup>3</sup> koldus = Bettler = mendiant <sup>4</sup> támoiyog = taumeln = tituber, chanceler <sup>5</sup> búcsút járni = wallfahren = faire un pèlerinage <sup>6</sup> megtépve = zerfleischen = lacérer <sup>7</sup> megtapodva = zertreten = fouler aux pieds, écraser <sup>8</sup> megtakopott = hart mitnehmen = usé, déguenillé <sup>9</sup> flumen: Tisza <sup>10</sup> scilicet: vitae <sup>11</sup> megtcsúfolni = verspotten = bafouer <sup>12</sup> kópés = Spucke, Auswurf = crachat <sup>13</sup> beszennyezni = beflecken = souiller <sup>14</sup> scindendo <sup>15</sup> széthasítani = zerspalten = couper, démembrer <sup>16</sup> ragadozók = Plünderer = rapace <sup>17</sup> koporsó = Sarg = cercueil <sup>18</sup> faragdál = zimmern = menuiser <sup>19</sup> únos úntalan =

fortwährend = sans désespérer <sup>20</sup> panasz = Klage = plainte <sup>21</sup> keserves = bitter = amer <sup>22</sup> árva = Waise = orphelin <sup>23</sup> Hungari <sup>24</sup> uralkodik = herrschen = dominer, être le maître <sup>25</sup> röhögve = lautes Gelächter = ricanement <sup>26</sup> lingua nationalis <sup>27</sup> idegen = fremd = étranger <sup>28</sup> boronál = eggen = herser <sup>29</sup> rög = Scholle = glèbe <sup>30</sup> quos nos coluimus <sup>31</sup> újdonsült = Neuling = nouveau <sup>32</sup> aki nem vet = der nicht säet = celui qui ne sème pas <sup>33</sup> a gazda = Wirt, Herr = maître <sup>34</sup> őseink = Ahnen = ancêtre <sup>35</sup> felemelni = aufrichten = relever <sup>36</sup> ostor = Peitsche = coup de fouet <sup>37</sup> megdédeljük = verdienen = mériter <sup>38</sup> ostorozni = geißeln = flageller <sup>39</sup> bűnös = der Schuldige = pécheur <sup>40</sup> kérve-kérni = inständig bitten = prier instamment <sup>41</sup> fontium, montium

## Aristophanes: Aves.

Hungarice reddidit et ad<sup>1</sup> actus<sup>1</sup> scenarum<sup>1</sup> composuit<sup>1</sup>  
dr. Iosephus Révay.

Multi deos antiquos tam ridiculos vitiorumque plenos nobis ante oculos ponere, quam Offenbach in comoedia musica (vulgo: operetta) quae<sup>2</sup> «Orpheus in infernis» inscribitur,<sup>2</sup> moderni aevi esse putant. Quantum errant! Si quis perlegerit carmina epica Homeri et Pugnam ranarum et murium, Xenophanem, philosophum Graecum (saeculo VI. ante Chr. n.) iure in Homerum et Hesiodum invecum<sup>3</sup> esse<sup>3</sup> dicet, qui omnia peccata et foeditates a mortalibus commissa deis ascripsissent.<sup>4</sup> Mens moralis nostra hodierna vehementissime repudiaret, si quis de Deo vero talia, qualia poëtae antiqui aevi de diis suorum temporum finxerunt, scribere auderet, quae tamen non sunt antiquo anthropomorphismo aliena. Similia etiam, in comoedia Aristophanis, quae Aves inscribitur, obiciunt<sup>5</sup> vitam publicam et socialem Atheniensium ignominiae<sup>5</sup> legi possunt.

Argumentum<sup>6</sup> fabulae hoc est: I. Peisthetairos et Euelpides, cives Athenienses, Athenis aegre ferentes vitia publica et corruptionem civitatis emigrant. Urbem quaerunt, ubi procul a viris<sup>7</sup> civilibus<sup>7</sup> suae ipsorum utilitati studentibus et rhetoribus et sycophantibus,<sup>8</sup> procul a strepitu forensi otio frui possint. Perveniant super nubes in regnum avium, ubi cum Upupa,<sup>9</sup> qui olim in terra, nomine Tereus, rex Thraciae fuerat, sed propter scelus a deis in upupam mutatus est, ut ibi maneat, pacto<sup>10</sup> convēnit.<sup>10</sup> Avibus, ut arcem aedificent, persuadent: sic aves dominos totius mundi fore, per arcem enim avium fumum sacrarum terrestrium ad deos non penetraturum et sic deos fame perituros esse. (Quae aedificatio arcis aëriae rem publicam Atheniensium tempore Alcibiadis fortunae<sup>11</sup> se committentem<sup>11</sup> significat: anno ante

<sup>1</sup> színpadi előadásra alkalmas = für die Bühne bearbeiten = adapter pour la scène <sup>2</sup> melynek címe = dessen Titel = intitulé <sup>3</sup> megtámad = angreifen = censurer <sup>4</sup> tulajdonít, ráfog = zuschreiben = attribuer <sup>5</sup> kipellengérezni = an den Pranger stellen = dénoncer, noter d'infamie <sup>6</sup> cselekmény, tartalom = Handlung = action, argument <sup>7</sup> politikus = Politiker = politicien <sup>8</sup> feljelentő = Denunziant = délateur <sup>9</sup> banka = Wiedehopf = huppe <sup>10</sup> megalálapodnak = übereinkommen = s'entendre <sup>11</sup> kalandokba bocsátkozni = auf Abenteuer ausgehen = se lancer dans des aventures



Chr. n. 414-o Athenienses Alcibiade auctore bellum Siciliae intulerunt, quo infeliciter gesto hegemoniam Athenienses amiserunt. Duo emigrantes amicitiam cum avibus ineunt et omnes ad arcem aëriam aedificandam aggrediuntur.<sup>12</sup>

II. Arx aëria Nubicuculianum<sup>13</sup> (Graece : Nephelococcygia) nominatur et etiam emigrantes Athenienses Upupa adiuvante aves fiunt. Maxima cum celeritate status novae urbis ordinatur, quam tamen homines terrestres aedificari mox sentiunt et singuli ordine apparent partim, ut utilitatem<sup>14</sup> ex incepto duorum emigrantium capiant,<sup>14</sup> partim, ut urbem novam regendam sibi comparent. Adveniunt poëta, vates, mensor,<sup>15</sup> iudex, iuris peritus, sed Peisthetairos omnes verberans expellit. Denique civis quidam Atheniensis cum uxore adest, qui aves facti recipiuntur in urbem avium.

III. Peisthetairos hominibus importunis<sup>16</sup> remotis res urbis novae cum diis componere<sup>17</sup> vult. Iuppiter tres deos in urbem avium legatos mittit : quia dii fame urgentur, cum hominibus agere coguntur. Post longas et iucundissimas<sup>18</sup> actiones denique, ut Zeus imperium mundi avibus tradat et Basileiam, cuius persona imperium mundi significat, Peisthetairo in matrimonium det, paciscuntur.<sup>19</sup> Pace facta Peisthetairos, deus novus avium, unā cum Basileia divinā gloriā ornatus in arce urbis avium apparet. Chorus avium hymenaeos canit.

Verba Aristophanis in fidā quidem interpretatione<sup>20</sup> Ioannis Arany apta sunt, quae aguntur,<sup>21</sup> quia propter allusiones<sup>22</sup> innumeras mythologicas et ad vitam Atheniensium pertinentes sine annotationibus<sup>23</sup> exegeticis<sup>23</sup> etiam philologo lectu difficilia sunt. Sed «puer ineruditus Gratiarum» — ut Aristophanes a Goethe nominatur — non abhorret a partibus, quae etiam genas lectoris rubore suffundant, actae autem omnibus offensionibus<sup>24</sup> sunt.<sup>24</sup> Iosephus Révay, cuius libros peritiam vitae antiquae intelligentissimam testificantem in fasciculis nostris mensium Ianuarii et Februarii recognoveramus, iudicio exquisito ductus res obscoenas et allusiones annotationibus doctis egentes praetermisit, in quorum loco res actuales, quae comoediam nobis intellectu proprius ferrent, scripsit.

Theatrum Nationale Budapestinense comoediam actione<sup>25</sup> splendidissima excellentissimaque in scenam detulit. Actores vestibus e plumis avium factis induti partes agunt et turba avium colore vario saepe scenam totam complens spectaculum hilare et pulcherrimum praebet. Spectatores maximo cum applausu sequebantur actionem comoediae facetiis<sup>26</sup> et allusionibus ironicis plenae et maxime delectabantur ludo optimo actorum. Hac forsitan mente inspirati Rostand opus, quod Chantecler et Franciscus Herczeg noster opus, quod Regnum simiorum<sup>25</sup> inscribuntur, scripserunt.

Elisabetha Nagy dr. Bp.

<sup>12</sup> hozzáfogni = unternehmen = entreprendre  
<sup>13</sup> Felhőkakuklak = Wolkenkuckuksheim = Coucouville-des-Nues <sup>14</sup> hasznót hűz = Nutzen haben = tirer profit <sup>15</sup> mérnök = Ingenieur = ingénieur <sup>16</sup> alkalatlan = lästig = fâcheux, importun <sup>17</sup> rendez = bestimmen = régler <sup>18</sup> mulatságos = ergötlich = amusant <sup>19</sup> szerződést köt = Vertrag schließen = passer un contrat, faire un traité <sup>20</sup> fordítás = Übersetzung = traduction <sup>21</sup> előad = aufführen = représenter <sup>22</sup> célzás = Anspielung = allusion <sup>23</sup> magyarázó jegyzetek = erklärende Anmerkungen = commentaire <sup>24</sup> megbotránkoztató = anstößig sein = scandaleux <sup>25</sup> előadás = Aufführung = représentation <sup>26</sup> szellemesség = launiger Witz = sailli  
<sup>2</sup> majom = Affe = singe



**Habemus Papam!** Omnis terra catholica gaudet, maxime autem gaudent Germani, quia cardinalis **Eugenius Pacelli**, qui Papa creatus **Pius XII** nominari vult, multos per annos «nuntius» Pii XI-i in Germania vivebat, quare optime novit populum moresque nostros. Omnes sperant novum Papam etiam dehinc amicam Germaniae futurum esse. Fiat pontificatus eius optimus! Ad multos annos!

Ric. Schaeffler disc. Ettalensis (Germania)

Etiam nos Hungari maximo affecti sumus gaudio audientes eundem ipsum, qui legatus Pii XI anno praeterito Congressu Eucharistico praefuisset, nunc successorem Sancti Petri factum esse. Delegati Hungariae die 12 h. mensis etiam coronationi Pontificis interfuerunt.

**Controversiae in Cechoslovakia.** Cum cohortes Ucratorum in Russia Subcarpathica Russinos oppresserunt, Cesci hoc non impediverunt, immo



Aristophanes : Aves.




adiuverunt. Deinde iam etiam Cescos Ucrani aggredi audebant, quos expellere voluerunt. Tum demum Hacha dr. praeses Cecoslovaciae Revai ministrum, ducem Ucrani amovit et Ucrani cohortibus arma<sup>1</sup> adimi<sup>1</sup> iussit. Similiter actum est de Slovaci libertatem plenam poscentibus et iam iam communitatem cum Cescis renuntiantibus.<sup>2</sup> Die 10 huius mensis ministri libertatis Slovaciae propugnatores ab Hacha praeside sunt remoti. Tiso primus ministrum Slovaciae in claustrum tenetur, Tuka professor et alii in custodiam dati sunt, milites autem Cesci in Slovacia quietem et ordinem servare iussi sunt.

**Cataloniā occupatā** Franco dux Hispaniae nationalistarum ultimum impetum facturus est in partem nondum occupatam, ubi communistae in urbe Madrito arma ceperunt contra alios, qui, postquam Azana praeses reipublicae magistratu se abdicavit, plus sanguinis fundere nolentes iam de pace aut saltem<sup>3</sup> de indutiis<sup>4</sup> agere cum Franco duce parabant.

**In urbe Cracovia**, dum capella Sancti Leonhardi in arce Wawel restauraretur, sub pavimento proscisso<sup>5</sup> ossa Poniatovsky principis et Ioannis Sobieski regis-liberatoris quondam temporibus Turcarum urbis Vindobonae et Thaddaei Kosciusko propugnatoris Polonici inventa sunt.

**Juliana heres regni Bataviae** in Helvetia recreationis causā commorans nuper magno timore affecta est. Maritus enim, Bernhardus princeps, montem quendam ascendens diu asylum montivagorum (vulgo: turistarum) relinquere non potuit, adeo omnes viae et aditus nivibus obruti sunt. Tertio tandem die, qui ad principem explorandum missi sunt, maritum liberatum incolumem ad uxorem regiam reduxerunt.

**In oppido Americano** Fall River incendio exorto vigiles<sup>6</sup> siphonarii<sup>6</sup> frustra flammam extinguere



conabantur, nam gelu horribili aqua, priusquam ignes attigisset, in aëre congelata<sup>7</sup> est.

<sup>1</sup> lefegyverez = entwaffnen = désarmer <sup>2</sup> lemond = verzichten = renoncer <sup>3</sup> legalább = wenigstens = au moins <sup>4</sup> fegyverszűnet = Waffenstillstand = armistice <sup>5</sup> felbont = aufreißen = dépaiver <sup>6</sup> tűzoltók = Feuerwehr = (sa-peur)-pompiers <sup>7</sup> megfagy = zu Eis werden = geler

## Carmen militare: Laus confiniorum.<sup>1</sup>

Scriptis *Valentinus Balassa* (1551—1594). Latine reddidit *Ludovicus Meskó* Sch. P. Kecskemétini.

*Milites, quid dicam  
terram supra latam  
melius confiniiis?!  
Verè vento turtur  
oscenqu(e)<sup>2</sup> audiuntur,  
laete quibuscum vivis.  
Pratum dulce(i) odore,  
caelum manat rore,  
quippe<sup>3</sup> cara quae vivis.*

*Hostibusqu(e) auditis  
ardet cor militis  
concitatum<sup>4</sup> proelii.<sup>4</sup>  
Immo pugnas<sup>5</sup> extra<sup>5</sup>  
surgit turma dextra,<sup>6</sup>  
quidquid audax perpeti.  
Vulnera lucratur,  
pugnat et pugnatur,  
frons fluit cruor(e) etsi.*

*Crudis<sup>7</sup> signis subter  
portatur libenter  
hast(a)<sup>8</sup> alat(a)<sup>8</sup> ā milite.  
Ante turm(am) ingentem  
campum per virentem  
lustrant hostes avidae.  
Pelle pantherinā  
quisqu(e) ornatur, cristā,  
claricant(e)<sup>9</sup> et casside.*

*Salticis<sup>10</sup> equisque  
Mauris<sup>11</sup> volat quisque  
ad tubarum concitus.  
Est, vigil qui obstat,<sup>12</sup>  
quive conquiescat,  
s(e) invenit quo primitus,  
pernoctante<sup>13</sup> pugnā  
cum sit fessa turma,  
quisque miles languidus.*

*Nobili decoro<sup>14</sup>  
nominiqu(e) honoro<sup>15</sup>  
posthabentur omnia.  
Exemplar humanum  
et formam virtutum  
cunctis ipsi dant, quia  
falcones<sup>16</sup> ut acres  
per campos palantes<sup>17</sup>  
confligunt in agmina.*

*Hostibus conspectis  
laeti clamant, nec quis  
parcit Turco cuidam.  
Inque pugna gravi,  
quamquam non vocati,  
muti reddunt animam.  
Sanguin(um) unda sparsi  
obviamque versi  
repelluntur haud unquam.*

*Campus ille latus,  
qu(o) ambulent,<sup>18</sup> et saltus:  
porticus<sup>18</sup> sunt pariter.  
Abditum<sup>19</sup> viarum  
pugnae(e)st haud ignarum  
durae, idemque magister.<sup>20</sup>  
Fames proeliantis,  
sitis, aestas grandis:  
fertur ludo,<sup>21</sup> leviter.*

*Gladi(o) exacuto  
gaudet turma, tuto  
colligit quo capita.  
Pugnis sed peractis  
mult(i) eor(um) in agris  
iacent vitā perditā.  
Quibus est sepulcrum  
venter, heu, volucrum,  
brabeumque<sup>22</sup> bestia.*

*Oh confiniorum  
iuvenumqu(e) herorum  
copiae laudabiles!  
quorum pass(im) in orbe  
notum nomen, omne  
tempus necnon scit vires.  
Arbores ut pomis  
donet Deus bonis  
fortunis super fines!*

<sup>1</sup> confinium = fines cuiusdam regni <sup>2</sup> avis cantica <sup>3</sup> scilicet, etenim <sup>4</sup> concitatum ad proelium <sup>5</sup> extra pugnas <sup>6</sup> proba, excellens <sup>7</sup> cruentis. <sup>8</sup> hasta ala decorata <sup>9</sup> splendida, corusca <sup>10</sup> saltitantibus <sup>11</sup> Saracenis scil. vel Arabis. <sup>12</sup> ante castra stet <sup>13</sup> per totam noctem durante <sup>14</sup> decorum, i = honestas <sup>15</sup> honorus, a, um = honestus, probus <sup>16</sup> sólyom = der Falke = le faucon <sup>17</sup> vagantes, ambientes <sup>18</sup> ordo: campus et saltus porticus sunt quo ambulent... <sup>19</sup> latebrae, secretum <sup>20</sup> ibi enim pugna discitur <sup>21</sup> uti ludus, iocus. <sup>22</sup> praemium



**LECTORIBUS MAIORIBUS.**

**Inscriptiones Latinae.** (2)

**Opera tectoria symbolica vitam spirantia.**

Scriptis : —s.

3. «*Facit et servat leges.*» Sole candido horologium solarium videtur, quo etiam a nobis leges accurate observandas esse edocemur. (Vel : sicut sol per horologium solarium facit et servat leges, ita Deus per magistratus nobis leges suas ac praecepta nota reddit atque illaesa servanda curat.)

4. «*Haec odit inertes.*» In nido sedet aquila una cum pullis suis, sed quendam pullum ab illa de nido eici videmus. Iam potest volare, ergo volet, iam potest alimentum sibi comparare, ergo laboret !


vicecomes comitatus, camerarius aulicus, etc. († 1850.) Felix, filius Ladislai, vicecomes, dein comes supremus comitatus secundum voluntatem ultimam in tumulo horti sepulchralis familiae saepti cruce lignea signato in cœmeterio publico conditus est. Paulus, filius Felicis, artifex picturae celebratissimus similiter ibidem sepultus est, nam ex pietate eodem modo quo pater praeceperat.

Quorum memoria in corde nostro vivit.

Grata cum pietate, Felix Merse de Szinye iun., archivarius superior Szolnokiensis. 1938.

**Vivum Latinum.**

1. **Institutum Studiorum Romanorum**, cuius patroni sunt rex Italiae Victorius Emmanuel III et Mussolinius Dux, novum periodicum edidit, quod inscribitur «*Per lo studio e l'uso del latino.*» Bollettino Internazionale di Studi-Ricerche-Infor-



Emblemata refectorii archicoenobii (Pannonhalma) 5—3.

Etiam a nobis patria (mater nostra) laborem postulat tunc, cum iam agere possumus, et quidem eo modo et tantum, quo modo et quantum humeri nostri valent.

5. «*Reddo cuique suum.*» Speculum depingitur. Speculum accuratissime reddit omnia sine ulla exceptione. Idem a nobis postulatur : cuique suum reddere. Quam alio modo essent res humanae in hoc mundo, si consilio speculi homines semper uterentur !

(Continuabitur.)

**Elogium sepulcri.**

In memoriam Familiae Merse de Szinye.

Atavus familiae Soma ; filius eius comes Benedictus a. D. 1262. a rege Bela IV. titulo donationis hunc pagum regionemque accepit. Posterius eius in ordine continuo possidebant agros patrios et patroni erant ecclesiarum. Hypogaeum ecclesiae diu locus sepulturae erat familiae eiusque incola novissimus Ladislaus Merse de Szinye delegatus dein

mazione. Direttore : *C. Galassi Paluzzi* (praeses Instituti), redattore : *Guido Rispoli*. Hic fasciculus speciosus (formā quartanariā, pag. 104) demonstrat hisce temporibus Institutum Stud. Rom. quasi divina providentia praedestinatum esse, ut amicos cultores fautores latinitatis colligendo praepararet et divulgaret usum linguae latinae. Quod si quis statim credere nolit, legat fasciculum, cuius index est hic : *Galassi Paluzzi* : La lingua di Roma nel mondo e l'opera dell'Istituto di Studi Romani. — 1) *Lo studio e l'uso del latino nel mondo* : a) *Faidier* : Belgium latinum. b) *Marouzeau* : L'enseignement du latin en France. c) *Newald* : Die Arbeit am Lateinischen in Deutschland. d) *The Study of Latin in England*. e) *Wagenvoort* : De Latini sermonis apud Batavos institutione usque hodierno. f) *Jiménez* : De studiis Latinarum litterarum apud Hispanos. g) *Ernst* : L'enseignement du latin en Suisse. h) *Wagner* : De usu linguae Latinae in Hungaria post bellum gentium. 2) *Pro latina lingua divulganda* : a) *Lurz* : Societas Latina Monacensis. b) *Warsley* : Latin in U. S. A. c) *Wagner* : «*Iuventus*» Budapestinensis. 3) *Il latino nella*



*scuola media*: Rispoli: Premessa. — Questionario ad Associazioni nazionali straniere di Professori Medi. — Risposte di Associazioni: Danimarca, Inghilterra, Iugoslavia. — *Bolisani*: La composizione latina. — *Malcovati*: I programmi di latino per il liceo classico. — 4) *Iniziativa dell'Istituto di Studi Romani*: Schedario Centrale di Bibliografia Romana. — 5) *Corrispondenze, Rassegne, Informazioni*.

Non possumus hic omnia proferre, quae memoratu digna sunt. Nam talia permulta in hoc primo fasciculo inveniuntur. E. c. quis amatorum latinitatis non gaudeat certior factus de usu linguae latinae radiophonico in urbibus Cairo et Roma, nec non de Domo amicorum latinitatis Parisiana, etc.? Commentationes partim latine scriptae sunt, aut saltem summarium latinum iis, quae linguis modernis utuntur, additur. Quare omnibus linguae latinae amicis perimpense commendamus, ut adiuvant Institutum Stud. Rom. et legant divulgant-

## Sagitta et Carmen.

Carmen *Henrici Wadsworth Longfellowii* «The arrow and the song», latine vertit *Guil. Lehmann Vratislaviensis*.

*Sagittam miseram per aëra;  
In terram decidit — nescivi qua:  
Cito volavit tam; ut oculi  
Nequirent tum volantem prosequi.*

*Spiraveram carmen per aëra;  
In terram decidit — nescivi qua:  
Quis utitur tam certis oculis,  
Ut cursum prosequatur carminis?*

*Sagitt(am) ego multo post integram  
In quercu forte repperi fixam;  
Et carmen incolume repperi  
In cord(e) amici mei<sup>1</sup> fidissimi.*

<sup>1</sup> contrahe: mej



Magister civium *Carolus Szendi* in foro *Mussolini* salutatur *Cardinalem Pacelli*, apud quem ab dextra *Nic. Horthy* gubernator stat.

que hoc novum periodicum, cuius pretium annum extra Italiam est: L. 80, pretium huius fasciculi I: L. 30. Administratio periodici: Roma, Piazza della Chiesa Nuova, Palazzo dei Filippini.

2. **Commercium epistolare.** *Carolus Szendi* magister civium urbis *Budapestini*, qui anno 1938-o *Cardinalem Pacelli* advenientem oratione latina salutaverat, novo Pontifici, *Pio XII*-o iussu senatorum urbis inter primos gratulatus est. Cui *Pius XII* telegraphice respondit haec:

«Carolo Szendi magistro civium *Budapest.* *Augustus Pontifex* perdilexit obsequium istius urbis *Hungariae* capitis, cuius suavem semper servat recordationem eidemque apprime, Tibi autem effuse benedicit. *Montini substitutus*».

## Librorum recensio.



**Korpás Ferenc.** Miért tanul a gimnazista latin nyelvet? (Cur discipuli gymnasiolorum linguam Latinam discant?) *Budapest*, 1936. — Multum et saepe queruntur homines linguam Latinam inutilem esse, discipulos invidiosos eam discere exterminandamque ex scholis esse. Inprimis a parentibus tales iaciuntur querelae. Quibus obviam eundi munus hoc libello suscepit *Franciscus Korpás* rector gymnasii *Werbőcziani Bp.*, qui primum eorum, qui impugnant linguam Latinam, collegit argumenta, quibus contraria eorum opponit, qui linguam Latinam in gymnasiis docendam esse contendunt. In eligendis argumentis optimis usus fontibus maximam adhibuit diligentiam et cautionem, adeo, ut sperandum sit, ut parentes lecto hoc libello falsam de lingua Latina docendam opinionem in melius mutaturos esse. Haud



ab re esse putaverim introduci consuetudinem, ut in omnibus gymnasiis anno ineunte parentibus quam plurima huius opusculi exemplaria distribuuntur. Auctor libelli, optimis usus est fontibus, non possum tamen non mirari Pauli Caueri libros: Das Altertum im Leben der Gegenwart; Die Kunst des Übersetzens, Palaestra vitae omisisse. Ex cuius argumentorum cumulo haud scio an possint habiora tela ad defendendam linguam Latinam peti.

**Nyúl éneke.** Ki-jött 1714. Esztendőben és mostan... ujonnan ki-bocsátott *Turóczy—Trostler József* által. Nyomtattott Gyomán Kner Izidor betűivel 1938-dik Esztendőben. — Nyúl éneke, canticum leporis circumforaneum, quod anno 1714 ex officina typographica prodierat, a Iosepho Turóczy-Trostler editum archetypum imitatus a. 1938 typis exscripsit lepidissime Isidorus Kner. Turóczy non solum editoris munere functus est, sed etiam canticum explanationibus prosecutus est in ultima parte libelli utilissimis et subtilissimis. Canticum leporis est interpretatio, quae una cum origine Latina in codice *Kajoni* ad nos pervenit. Apud plurimas nationes inveniuntur vestigia cantici leporis, sed plurima huiuscemodi carmina circumferbantur in Germania, quorum omnium origo in Johannis Sachs versibus de querelis leporis repetenda est. Iosephus Trostler carminis Sachsiani fontem textum quendam Latinum, ex quo etiam codicis *Kajoni* cantica Latina et Hungarica narravissent, fuisse opinatur. Sed fere omnia animalia in questus flebiles de sua tristi sorte se profundunt; maxime vero mirandum est lupi, omnium animalium crudelissimi querimonias versibus compositas esse. Verum enim cum Iosephus Trostler carminum Petri Beniczky et Alexandri Petőfi mentionem fecit, miror ei non in mentem venisse fabulam Phaedri (III. 7). Ceterum libellus iste adnotationibus uberrimis et eruditione apud litterarum amatores, fautores, atque cultores summe commendabilis est.

Car. Ács Bp.



Censor aenigmatum: Otto Schmied Vindobonensis.

### Solutiones aenigmatum numeri V.

1. Prosit novus annus!
3. papa-ver.
2. Mussolini, tiro, Tomi, capitulum, anus, i e a o, is, rl; Asopus, Horthy, Hitler, mica, Urania, novale, immo, is, ui.
4. Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor!
5. ova, vir, ara.

**Aenigmata recte dissolverunt:** In Hungaria: Stephanus Székely (*Rákócianum*), Maria Eszlány, Eva Forbát, Vera Hoffmann, Susanna Kálmán, Helena Korompay, Gabriela Margittay, Iolantha Pukánszky, Eva Somogyi, Aurora Turner, Sarolta Wittinghof, Vera Lukács (*Szilágyianum*), Edmundus Cseh, Joannes Néveri, Ladislaus Pogány (*gymn. Acad.*), Paulus Tolnay, Tiburtius

Vénusz, Attila Csik, Otto Rajki, Joannes Toffler, Ioannes Weber (*Scholae Piae*), Agatha Ballonyi, Vera Barabás, Anna Berger, Eva Czinkotszky, Agnes Deák, Martha Gábor, Henrica Hofman, Gabriela Kollmann, Juliana Leimdörfer, Catharina Kartal, Katharina Kún, Margaretha Maraige, Maria Noltész, Helena Pusztay, Susanna Pásztor, Luca Rozgonyi, Maria Schillinger, Juditha Szekhy, Elisabetha Vér, Catharina Weber, Marianna Willner (*Veresianum*), Helena Gátszegi (*Giselanum*), Ladislaus Borza, Alexander Fenyves, Stephanus Holló, Georgius et Alexander Pál, Michael Szabó, Robertus Wimmer, Georgius Gonda, Georgius Gárdos, Gabriel Révész (*Bólyaianum*), Clara Deák (*Theresianum*), Egon Rosner, Ladislaus Szöllősy, Ioannes Kozma, Iulius Nagy (*gymn. IPEA*), Margaretha Grabits (*Sophianum*), Ladislaus Kuchánszki (*Széchenyianum*), Stephanus Gátszegi (*Emericanum*) *Budapestinenses*. Ioannes Kondorosi, Stephanus Huszár *Csurgonenses*. Otto Waldner, Stephanus Hatvani, Ioannes Dúzs *Gyöngyösienses*. Tiburtius Stinner *Jaurinenses*. Iosephus Fejes (*Somssichianum*), Margaretha Bertin, Elisabetha Henyeyi, Georgina Löbl (*thygatrogymn. Soc.*) *Kaposvárienses*. Ludovicus Hársing *Kisujzállásienses*. Georgius Wohlberg *Comaromienses*. Ioannes Kápolnai *Mezőkövesdienses*. Gabriela Kozsely, Gisela Sikolya, Eva Bartos, Helena Kakasy, Sara Ember, Irene László, Sarolta Öllös *Mezőturienses*. Maria Varga *Rákospalotana*. Margaretha Kocsis, Iuditha Poós *Sempronienses*. Maria Kónya *Sabarienses*. — In Germania: Ervinus Pelouch, Guilelmus Korber, Maria Rosenkranz, Hildegardis Swoboda, E. Müller, Helmutius Weiss (*Grillparzerianum*), Otto Zlobicky (*gymn. Acad.*) *Vindobonenses*. — In Batavia: Hermannus Meyer, Hermannus Mulder, Ioannes Rykers, Petrus Vette, Carolus v. d. Wiel, Christianus v. Weegberg, W. Wenstedt, Alb. Bleeker, Ioannes v. Heugten, Antonius v. d. Valk, Hubertus Gaudelius, Leonardus Berndsen, Henricus v. d. Heyden, Antonius v. d. Ryt *Kaatshewelienses*, Wouterus Kroon *Driekuis-Velsenienses*. — In Helvetia: Aelius Ghirlanda, Martha Zeier, Maria de Luigi *Lucanenses*. Idillio Noseda *Vacallonensis*.

**Praemium sorte Iolanthae Pukánszky, fratribus Pál, Clarae Deák, Ladislao Kuchánszki, Stephano Huszár, Ottoni Waldner, Margarethae Bertin, Georgio Wohlberg, Gabrielae Kozsely, Margarethae Kocsis, Mariae Rosenkranz, Woutero Kroon, Marthae Zeier, Agathae Bakonyi, Attilae Csik, Edmondo Cseh, Stephano Gátszegi, Hermanno Meyer obvenit.**

#### 1. Aequatio.

Quot annos puer est natus, cuius mater bis maior natu est, quam filius et pater quinque annis senior matre, si cuncti centum annorum sunt? Quot annorum sunt parentes?

Ioannes Néveri, disc. VI. cl. gymn. Acad. Budapestinensis.



2. Quadratum magicum.

1.	X	E	R	O	D	E	E	E
2.	E	N	I	M	E	I	I	M
3.					M	N	N	N
4.					O	O	R	R

1. Regnavit Romae crudelissime.
2. Coniunctio causalis.
3. Quod fac in laeta re!
4. Sed haec est res fatalis.

C. Lukács, Al. Csukly, L. Márkosy disc. Albaregalenses.

3. Pyramis.

- 1       Vocalis sive interiectio.
- 2 1     Cum mittor, illud facio.
- 3 2 1   Qui rex est animalium.
- 4 3 2 1 Est «lacrimo» simillimum.

Otto Waldner, disc. IV. cl. gymn. Gyöngyösiensis.

4. Crucigramma.

1	2	3	4	
	■	■	■	5 A 2 B 4 E
5				4 I 2 L 1 N
	■	■	■	2 O 1 R 2 S
6				2 T 2 U 2 V

ad libram :

- 1 Est civitas maritima  
Ac libertatis amatissima.
- 5 Sunt «operae» eadem fere res.
- 6 Sunt «triumphantes» homines.

ad perpendiculum :

- 1 Est «bellum gero» simile.
- 2 Est instrumentum musicum.
- 3 Significat : «est viride».
- 4 Perfecti participium.

O. S.

5. Supplendo.

- . . . . . acti labores.
- . . . . . nemo obligatur.
- . . . . . omnia vincit.
- . . . . . silent leges.
- . . . . . ibi patria.
- . . . . . pro nobis, quis contra nos?
- . . . . . parvae res crescunt.
- . . . . . principium.
- . . . . . humanum est.
- . . . . . simili gaudet.
- . . . . . misis amica.
- . . . . . est mater studiorum.

Expletis his  
Sententiis  
Dux clarus Romanorum  
Initiis verborum  
Exsistit ante te :  
Proconsul Galliae.

Otto Waldner, disc. IV. cl. gymn. Gyöngyösiensis.

Nota. Lectoribus minimis : 1-3, ceteris 4, 5.

Terminus solutionum ad moderatorem (J. Wagner, Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20) mittendarum Calendae Maiiae.


Solutiones aenigmatum singulis in scholis a magistro collectae in eodem involucre epistolae ad moderatorem mitti possunt. Quem sibi quisque ex libris praemio dandis elegit (vide pag. 80), scribat ad moderatorem.

Lectores ad certamen invitantur.

Qui certaminis participes esse volunt, scribat sub titulo *Quae mihi in «Iuventute» maxime placeant?* Terminus : Calendae Maiiae. Opuscula optima praemio afficientur. Exitus certaminis in fasciculo X (mense Iunio) publicabitur.

Nuntii ultimi.

Cecoslovacia desiit existere. Nam Slovacia suo iure recuperato a Bohemis defecit, quos Germani imperio suo adiunxerunt. Quare «gens fidelissima» Russinorum tandem redire potest in veterem patriam, quo facto Hungaria et Polonia confinium commune iam pridem desideratum habebunt.



Corrigenda numeri VI. (Febr.) : pag. 83 : pro «videmus» lege : videamus. — pag. 84 : pro «je me rappelle pas» lege : je ne me r. p. — pro : «utens» lege : vectus. — pag. 93 : pro : «abhorruissemus» lege : abhorruerimus.

Ant. Pallavicini. Joca de praesidibus Americanis Lincoln et. Taft iam in fasciculo IV-o anni XXI-i (Dec. 1936 pag. 56) prodierunt. — L. Zander. Jocus de deversorio «Ad Agnum» non impuberibus quales vos estis, sed viris adultis aptus est. — I. Fejes. Tot aenigmata mittas, quot habes, dummodo sint bona. — Jos. Morabito, St. Cybulski. Libri vestri, illustrissimi professores, ordine recensebuntur. — R. Schaeffler. Tot manuscriptorum parte pretiosissima tantum utar. Nota bene : Non multa, sed iucunda et quidem pulchra scribenda sunt. Nam quae nunc misisti, typographus nequaquam legere potest, moderator autem non vacat et corrigendis et iterum describendis opusculis tuis. — A. Bors, Ed. Cseh, Lad. Keleti. Opuscula vestra edentur. — Socios Lucanenses salutamus. Fasciculus VIII paene totus Helvetiae dedicabitur. — St. Farkas, Jos. Guelmino, Jos. Tóth, Elis. Nagy, Avenarius. Scripta vestra, carissimi, partim iam nunc, partim deinde publicabuntur. — Lad. Tamás. Carmen tuum demonstrat quidem tuam linguae latinae peritiam, sed poeta latinus nondum dici potes. Si solutae orationi operam dare vis, certiore me fac, ut materiam aptam tibi mittam. — Aenigmata ad moderatorem missa, quae a censore nostro apta esse putantur, ordine prodibunt.

Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum. — A Katolikus Középiskolai Tanáregyesület költségen.

(Praeses : DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)